



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

Dispvtaio XXI. De approbatione, probitate, & scientia in Confessario
requisitis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

140.

Debemus ergo respondere facultatem illam multum posse prodesse subdito. Primum, quia plerumque nondum decrevit Christi praeceptum violare; sed ob difficultatem vacillat, & instat iterum, atque iterum pro licentia obtinenda; & tunc eius Pastor debet manum vacillanti porrigere, & praecavere ruinam; eius periculum videt; concedendo licentiam, ne Christi praeceptum violet. Secundum, licet iam subditus decreverit obfirmato animo Superiorem non confiteri; adhuc prodest facultas concessa: quia sublata difficultate, animo quieto, & tranquillo, facilius concipitur postea dolor, & propositum necessarium ad valorem Sacramenti: facilius enim propositio penitens proposito in genere, & circa difficultatem non praesentem, nec explicitè propositam; quam distinctè circa obiectum praesens, arduum, & difficile. Fatetur tamen, periculum plerumque esse, ne penitens careat dispositione debita, qui proximè antea volebat observare Christi praeceptum de confessione praemittenda, & data licentia confiteretur alteri: quare accurate, & suaviter disponendus esset prius à Confessario ad veram dolorem, & propositum concipiendum: negare enim non possumus deesse illi debitam dispositionem, nisi ex animo doleat efficaciter, quod Christi praeceptum spreverit, & confessus non fuerit, prout ex praecepto debebat. Sufficiet tamen, ut dixi, dolor generalis (si verus dolor sit) de omnibus peccatis commissis.

150.

Addo ultimum, hanc Praelati obligationem non ita consistere in indivisibili, ut semper vel teneatur concedere licentiam petitam ob vitandum damnum subditi, vel teneatur eam negare ob damnum eiusdem subditi, vel aliorum; quod ex concessione sequeretur. Potest enim aliquando dari status medius, in quo, nec sit obligatio saltem grauis concedendi, nec etiam negandi licentiam. Quia fieri potest, quod non timeatur graue damnum penitentis, vel aliorum ex eo, quod concedatur, vel negetur. Et licet aliquando suspicio, vel timor aliquis de illo esse possit: non tamen talis, ut obligetur Superior ad remedium; non enim obligatur ad omne malum possibile, praecavendum; sed quod prudenter; & probabiliter futurum timetur. Denique, licet aestimetur vilius fortasse penitenti, ad eius bonum forte negare, quam concedere licentiam; non tamen teneatur Praelatus adeo stricte ad procurandum maius bonum subditi, sicut teneatur ad impedendum eius graue damnum; praesertim, quando id non potest absque nota seueritatis, quam vitare aliunde, est satis vtile. Quae omnia contingere etiam possunt circa illud aliud punctum de danda licentia huic determinato Confessario: potest enim in eisdem circumstantiis contingere, quod non sit obligatio concedendi, vel negandi, saltem grauis; sed possit alterutrum fieri: in quibus omnibus casibus prudens Praelatus inclinare magis debet ad concedendum, quam ad negandum, ut se suorum Superiorum intentioni magis conformet.

DISPUTATIO XXI.

De approbatione, probitate, & scientia in Confessario requisitis.

SECT. I. *Qui, & ad quorum confessionem, indigeant approbatione.*

SECT. II. *A quo Ordinario debeat esse approbatus Confessarius.*

SECT. III. *Utrum approbatio possit negari, vel certe limitari, cum datur, vel semel concessa reuocari.*

SECT. IV. *De probitate, & doctrina in Confessario requisita.*

Potestatem Ordinis & iurisdictionis, de quibus iam dictum est, sunt alia quae requiruntur in Confessario: imò approbatio ita requiritur, ut sine illa non detur potestas iurisdictionis completa, propter incapacitatem subiecti, de quibus in hac Disputatione breuiter dicendum erit: nam multa, quae prius disputari solebant, magna ex parte cessant per nouas Bullas, aut declarationes Summi Pontificis.

SECTIO I.

Qui, & ad quorum confessiones, indigeant approbatione.

Praemittendum est decretum Concilii Tridentini, sess. 23, c. 15, de reformat. cuius haec sunt verba: *Decernit sancta Synodus, nullum etiam Regularem, posse Confessiones secularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopo per examen, si illud videatur esse necessarium, aut alias idoneis indicetur: & approbationem, quae grati datur, obtineat privilegium, & consuetudine quacunque etiam immemorabili, non obstantibus.* Vbi Concilium duos modos distinguit, quibus Sacerdos censetur idoneus: primus est, si habeat beneficium parochiale: secundus, si ab Episcopo sit approbatus ad id munus audiendi confessiones: quorum alter necessarius est non solum ex praecepto, sed ex necessitate Sacramenti: quia, licet ad eius valorem solum requiratur in Ministro potestas Ordinis, & iurisdictionis; Ecclesia tamen in praedictis verbis reddit incapacitatem iurisdictionis accipiendam, (scilicet, ad peccata mortalia non prius confessa) illam, qui neutrum habuerit ex his duobus, atque ided defectu iurisdictionis absolutio non erit valid. Nec admittenda est exceptio eorum, qui publicum testimonium habent ab Academia, suae doctrinae, & scientiae: nam Concilium omnes illos, qui nec Parochi sunt, nec ab Episcopo approbati, excludit a munere audiendi confessiones. Unde, nec Episcopi consecrati, qui iurisdictionem nullam habent; nec etiam Cardinales, si nullam animarum curam haberent, apti essent, cum Decretum vniuersaliter loquatur.

Ex praedictis verbis Decreti inferitur primum, in eis nihil innovari circa confessiones penitentis regularis, siue is sit vir, siue femina, cum solum id requiratur à Concilio ad audiendas confessiones secularium: quare poterit Religiosus ex licentia sui Praelati confiteri cuilibet Sacerdoti simplici, etiam seculari; dummodo peculiari sui Ordinis statuto id non prohibeatur. Secus dicendum est de confessione Sacerdotis secularis; is enim confiteri non potest nisi Sacerdoti habenti alterum ex illis duobus requisitis.

Inferitur secundum, Praelatos & Episcopos seculares eo Decreto comprehendi, ita ut licet à iure habeant facultatem eligendi Confessarium idoneum, non possint eligere; nisi vel Parochum, vel approbatum ab Ordinario: quia omnes alij declarantur ab Ecclesia non idonei. Ita Suarez in praesenti, disp. 28, sect. 4, num. 7, qui dicit, ita declarasse Gregorium XIII. cuius verba refert infra, sect. 6.

num. 7. Coninch in *presenti*, disp. 8. dub. 7. num. 50. & alij communiter; non quia auferatur privilegium, aut facultas, quam Prælati habebant eligendi Confessarium idoneum; sed quia declaratur à Concilio, quis sit, & quis non sit de cætero Confessarius idoneus.

4. Infero tertio, posse Episcopum aliquem approbare ad audiendas confessiones; & tamen nullam illi conferre iurisdictionem; sed solum reddit illum capax, cui possit iurdictio conferri; quare, si ille aliunde habet privilegium generale sui Ordinis, vel speciale audiendi confessiones, posita approbatione Episcopi posset confessiones audire per iurisdictionem à Papa concessam; item posset à Parocho accipere iurisdictionem ad audiendas confessiones suorum subditorum.

5. Dubitatum est, an post Tridentinum possit Parochus adhuc Parochus iurisdictionem suam delegare Sacerdoti non approbato ab Episcopo, sicut poterat ante Concilium: hoc enim ius Parochorum non videtur esse à Concilio sublatum, in quo solum dicitur, non obstantibus privilegiis, & quacunque consuetudine: hoc autem ius non competebat Parochis ex privilegio, aut mera consuetudine; sed ex officio, & potestate sua. Quare hanc sententiam tenuerunt multi ex Patribus Dominicis, quos refert, & sequitur Petrus Ledesma in *Summa*, tom. 1. de Sacramento Pœnitentiæ, capite 12. conclus. 5. & Ludovicus de sancto Ioanne in *Summa de Pœnitentiæ*, quest. 7. art. 2. difficult. 12. & probabilem dicit Ioannes de la Cruz in *direct. conscientiæ*, part. 2. de Sacramento Pœnitentiæ, quest. 5. dub. 6. conclus. 2.

6. Contraria sententia communis est, & omnino vera, quam cum aliis docet Suarez dicta sect. 4. n. 12. Villalobos in *Summa*, tom. 1. tract. 9. diff. 49. num. 9. Fagundez de secundo præcepto Ecclesiæ, lib. 7. cap. 2. num. 42. & alij, quos refert, & sequitur Diana tom. 2. tract. 4. de Sacramento, resolut. 46. quam partem declaravit Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini; quam declarationem affert, & amplectitur Petrus Fay Dominicus in *presenti*, quest. 8. art. 5. disp. 1. Ratio autem videtur clara: quia in Tridentino vniuersaliter dicitur, nullum esse aptum, vel posse confessiones secularium audire de cætero, nisi vel Parochum, vel approbatum ab Episcopo: & hoc potissimum fuit inductum ad tollendum Parochorum abusum, qui ineptis suas oves committebant. Ergo non debuit manere eadem facultas, sicut antea, in Parochis: ad quid enim Concilij decretum deseruierit? Certum quippe est, neque etiam antea potuisse Sacerdotem simplicem audire confessiones secularium, nisi ex commissione Parochi, vel Episcopi, vel Pontificis: si ergo nunc etiam possunt ex commissione Parochi eas audire, poterunt à fortiori ex commissione Episcopi, ac Papæ, qui est magis verus Pastor earum ovium; & per consequens nihil innovatum erit per Tridentinum.

7. Nec obstat ratio in contrarium adducta; fatemur enim, Tridentinum priuare voluisse Parochos illa libertate, quam habebant, commitendi suas oves ineptis; & idè licet eis reliquerit potestatem, sicut antea; fecit tamen aliquos incapaces, quibus delegaretur. Nec ad hoc facere oportuit specialem mentionem de Parochis: nam red-dita inhabili persona ad recipiendam iurisdictionem, iam indirectè Parochus non potest ei delegare. Oportuit tamen de privilegiis contrariis mentionem facere: quia, cum hæc essent à Summo Pontifice, videri poterat, quod iurdictio ab ipso collata non esset dependens ab Episcopi appro-

batione, qui Pontifice inferior est: & idè etiam consuetudines, quoad illam partem, reuocantur: quia illæ etiam poterant videri esse in gradu inferiori respectu Episcoporum.

Inferitur quarto, illum, qui habuit parochiale beneficium, sed iam non habet, indigere approbatione Episcopi ad audiendas confessiones: quia Concilium solum ab illa necessitate approbationis excepit illum, qui actu habet parochiale beneficium: qui autem habuit, non habet, vt constat. E contra verò, qui tale beneficium habet, non indiget Episcopi approbatione, non solum, vt audiat confessiones aliorum extra suam Parochiam in eadem Diocesi, consentientibus, & demandantibus eorum Parochis; sed neque etiam in alia diocesi; quia Concilium omnes habentes tale beneficium reliquit, sicut antea; nec imposuit eis novum onus approbationis. Cum ergo antea posset eligi in alia etiam diocesi, & vocari ab alio Parocho, vt eum iuuaret; sic etiam poterit post Concilium, quod contra Ioann. Gutierrez lib. 1. canon. quest. cap. 27. n. 2. probat lae Suarez dicta sect. 4. num. 16. Vasquez in *presenti*, q. 93. art. 3. dub. 4. n. 2. Henriquez, & alij, quos refert, & sequitur Fagundez ubi supra, num. 36.

Dubitatur primo, an Prælati regularis possit absque Episcopi approbatione audire confessiones secularium. Ratio dubitandi est: quia ille est Parochus suorum subditorum: ergo, sicut alij Parochi, sic nec ipse indigebit approbatione Episcopi. Vnde non desunt, qui id concedant. Henriquez lib. 7. de Indulgentiis, cap. 12. num. 3. in *Glosse*, littera K, refert Martium. Gallum Medinam, & Bannes in ea fuisse sententiam quam tener etiam Ioannes Valerus in *differentiis viriisque fori*, verb. Nullus, diff. 5. num. 3.

Contraria tamen sententia communis est, & vera, quam docet Suarez ubi supra, n. 2. Rodriguez in *explicatione Bullæ*, §. 9. dub. 1. n. 4. Diana tom. 1. tract. 2. miscell. resolut. 46. & alij communiter: quia talis prælati non est propriè beneficium parochiale, nec id erat iuxta mentem Concilij: quod clare voluit in hoc subicere Episcopis Confessarios regulares quoad examen, & approbationem, non obstantibus eorum privilegiis. Et quidem quando eligitur Prælati regularis, non multum attenditur semper ad eius doctrinam, vt idè approbatus censendus sit ad audiendas Confessiones secularium.

Dubitatur vltius secundo, an Parochus dicendus sit simpliciter approbatus ab Ordinario, & idè eligibilis sit ab eo, qui per Bullam Cruciatæ, vel per Iubileum potest eligere sibi Confessarium approbatum ab Ordinario. Ratio dubitandi est: quia Tridentinum in prædictis verbis constituit Sacerdotem habentem beneficium parochiale ab illis, qui approbantur ab Ordinario. Cum ergo sermo est de approbatis ab Ordinario, non intelligitur Parochus, nisi ipse etiam approbatus fuerit ab Ordinario, & iurisdictionem ab eo acceperit ad absolendum in toto Episcopatu, prout multi accipere solent. Idè hanc sententiam tenent Gutierrez in *quest. canon. lib. 1. cap. 27. num. 2. 1.* & Nuñez num. *presenti*, q. 8. addit. art. 5. dub. 9. in fine.

Contrariam tamen sententiam credo in prædictis esse receptam, vt per approbatum ab Ordinario intelligatur parochiale beneficium habens. multi tamen Auctores pro ea asserunt à Diana 1. tom. tract. de Bulla Cruciatæ, resolut. 8. qui reuera solum dicunt, Parochum sine alia approbatione posse ubique eligi ab habente licentiam eligendi Confessarium.

cessarium. Potest tamen esse specialis difficultas in nostro casu propter verba Bullæ parentis, quod Confessarius sit approbatus ab Ordinario: & in Iubileis modernis additur, quod sit *ab Ordinario loco* approbatus, ut tollatur omnis equiuocatio. Cæterum, adhuc loquendo de Bulla Cenciæ, vel Iubileo, eam sententiam tradunt multi. Henriquez lib. 6. c. 6. num. 7. Bonacina disp. 5. de penitentia, q. 7. punct. 4. §. 1. n. 23. Fagundez dicto lib. 7. c. 2. n. 35. & alij, quos affert, & sequitur Diana 1. tom. tract. de Bulla Cenciæ, resol. 1.

13. Ratione probare possumus hanc sententiam, & communem præxim, simulque respondere ad rationem dubitandi: quia Parochus ille eo ipso, quod beneficium parochiale accipiat, approbatur ad audiendas confessiones, & approbatur quidem ab Ordinario: nam vel accipit beneficium à suo Episcopo, vel à Summo Pontifice, vel ab eius Legatis, vel à Nuncio, vel à Capitulo, Sede vacante: & hi omnes nomine Ordinarij comprehenduntur. Nec enim dubium est, quod si Papa, vel eius Legatus approbaret aliquem ad audiendas confessiones in tali Episcopatu, ille posset eligi ab habente privilegium, & facultatem eligendi ex approbatione ab Ordinario: nam ij omnes sunt Ordinarij illius loci, ut probat cum alijs Thomas Sanchez lib. 3. de matrimonio, disp. 28. non potest ergo reperiri Parochus, qui non sit approbatus ab Ordinario.

14. Dices, esse approbatum ad audiendas solùm confessiones suorum subditorum, quorum Parochus est constitutus. Sed contra: quia eo ipso, quod fiat Parochus, potest audire confessiones in alijs Parochijs ex voluntate aliorum Parochorum: ergo eo ipso, quod fiat Parochus, approbatur ab Ordinario ad audiendas confessiones in toto episcopatu. Credo tamen, quod virtute talis Iubilei non possit eligi in alia diocesi: quia in Iubileo non videtur dari facultas eligendi, nisi Confessarius approbatus ab Ordinario loci, id est, illius loci, in quo fit confessio, ut *infra* videbimus sect. 2.

15. Dubitatur tertio, vtrum ille, qui approbatus fuit ab Ordinario ad audiendas confessiones viro- rum, vel puerorum, vel rusticorum; possit virtute Iubilei, aut Bullæ eligi ab omnibus. Affirmant Henriquez dicto lib. 6. cap. 6. n. 8. Fagundez dicto lib. 7. cap. 2. num. 45. Petrus Fay in præsent. q. 8. addit. art. 5. disp. 3. conclus. 5. ad 4. Nuñez eadem q. 8. art. 5. dub. 5. Bonacina, ubi supra, n. 22. & alij, quos affert Thomas Sanchez lib. 8. de matrimonio, disp. 34. n. 16. qui eam sententiam probabilem esse dicit: loquuntur autem, quando limitatio non fuit ex defectu doctrinæ, sed propter ætatem, v. g. quod iu- uenis sit.

16. Alij è contrà dicunt, illum non posse per Bullam, aut Iubileum eligi, etiam ab iis, pro quibus approbatus est: quia per illa privilegia solùm potest eligi, qui simpliciter est approbatus ab Ordinario: ille autem non est simpliciter approbatus, sed secundum quid, scilicet, pro talibus personis. Ita aliqui, quos refert Ledesma in Summa de Penitentia, cap. 13. dub. 8.

Prima sententia probabilis est, saltem propter auctoritatem: verior tamen multò videtur tertia sententia negans, talem posse eligi ab iis, pro quibus non fuit approbatus. Hanc tenent Suarez dicta disput. 28. sect. 7. numero 3. Rodriguez in Summa, 1. tom. in 2. editione, cap. 60. numero 4. conclus. 4. Ioan. de la Cruz in director. part. 2. tract. de penitentia, quest. 5. dub. 8. conclus. 3. Villalobos in Summa, tom. 1. tract. 27. claus. 9. §. 1. numero 3.

Homobonus de casibus reservatis, part. 1. cap. 5. & alij.

17. Probatur primò: quia, quando in dictis privile- gijs, exigitur ex parte Confessarij eligendi, quod sit approbatus ab Ordinario, procul dubio intelligitur, quod sit approbatus iuxta formulam Tridentini, ad quam alludunt illa verba: *Approbatus autem iuxta Tridentinum non est ad audiendam confessionem, qui fuit approbatus pro alia confessione, & reprobatus pro ista: nam approbatio est respectiva ad id, ad quod approbatur.* Requiritur ergo, quod sit approbatus non approbatione disparata; sed approbatus pro hac confessione: atque ideò, qui pro hac Confessione reprobatus fuit, non est approbatus iuxta Tridentinum approbatione requisita ad audiendam hanc confessionem: duo enim requiruntur, scilicet, iurisdictio, & approbatio, sine qua non est capax iurisditionis: quod quidem intelligitur de approbatione respectiva, ita ut sine approbatione pro tali persona non sit capax iuris- dictionis ad audiendam eius confessionem. Ergo, cum Pontifex nolit dare per illa privilegia iuris- dictionem, nisi subiecto capaci, & idoneo per ap- probationem; intelligi debet de approbatione, quæ reddat subiectum capax iurisditionis ad talem confessionem; hoc est, de approbatione ad talem confessionem.

18. Probatur secundò, quia ipsi adversarij fatentur, quod si ob defectum doctrinæ fuisset limitata ap- probatio ad tale genus penitentium, quorum confessiones faciliores sunt, non posset eligi per hæc privilegia Sacerdos ad alias confessiones, pro quibus non esset approbatus. Idem autem dicen- dum videtur, licet limitatio ex alio capite pro- cesserit: nam Episcopi approbatio non solùm ter- minatur ad doctrinam, sed etiam ad mores, & ad alia, quæ impedire possunt decentem ministrati- onem Sacramenti: unde fatentur communiter Doctores, posse approbationem semel datam reuo- cari, ob mutationem in moribus. Sicut ergo appro- batus cum limitatione, ob defectum doctrinæ, non est eligibilis per privilegia ad confessiones, pro quibus est reprobatus; sic nec poterit, qui ap- probatus est limitatè ob alium defectum, quia non minus est ille reprobatus ad tale genus confessio- num.

19. Probatur tertio, quia, si ille posset eligi per Bul- lam, vel Iubileum absque limitatione, posset etiam eligi à Parocho ad confessiones illas suorum sub- ditorum, pro quibus non esset approbatus; atque adeò illa limitatio inutilis omnino fuisset. Probatur sequela: quia Concilium nihil aliud exigit, ut Pa- rochus possit alicui committere confessionem sui subditi, nisi, quod ille Sacerdos sit approbatus ab Ordinario: hoc autem ipsum eisdem verbis petit Pontifex in Bulla, vel Iubileo, vtille Sacra- dos possit eligi. Si ergo potest eligi per Bullam ille, qui non est approbatus ad hanc confessionem, sed ad alias, quia iam ille est approbatus ab Ordina- rio; poterit etiam eligi à Parocho ad dandam illi iurisditionem, cum ex Concilio nihil aliud ad hoc requiritur, nisi quod sit Sacerdos approbatus ab Ordinario.

20. Obicitur primò: quia si requireretur appro- batio vniuersalis, ad nihil deferuisset facultas Bul- læ, vel Iubilei, cum iam haberet iurisditionem ab Episcopo in ordine ad omnes subditos. Respon- deo clarè, idem argumentum posse fortius fieri, ut Parochus illi posset committere iurisdictio- nem: nam, si prærequireretur approbatio vniuer- salis, ad quid deferuisset iurisdictio data à Pa- rocho, cum iam haberet illam ab Episcopo? Respon- detur

detur ergo ad multum deferre. Primum, quia approbatio secundum se non affert iurisdictionem: & potuit Episcopus approbare, non dando iurisdictionem, sed permitiendo, ut à Parochis, vel aliis posset eam accipere, prout plerumque faciunt approbando, ut possit audire confessiones de consensu Parochi. Secundum, quia licet Episcopus det iurisdictionem, non tamen ad casus sibi reſervatos, ad quos datur regulariter per Bullam, aut Iubileum. Tertium, quia multo minus Episcopus dat facultatem ad casus reſervatos Pontifici, ad quorum plures, vel fere omnes datur per Bullam, aut Iubileum.

21. Secundum arguit quia ex nostra sententia sequeretur non posse tempore Iubilei eligi Parochum alterius parochiæ: quia hic non est approbatus ab Episcopo, nisi pro tali parochia determinata. Ita arguit Bonacina loco citato. Sed retorqueri potest clare contra ipsum: nam ipse non negabit posse Parochum committere alteri Parochi confessionem suorum subditorum; & tamen non concedet, extra Iubileum, posse Parochum confessiones feminatum committere ei Sacerdoti seculari, qui solum est approbatus ad confessiones viatorum. Non ergo arguitur bene à Parochi ad alios: quia, ut supra vidimus, Parochus eo ipso approbatur vniuersaliter ad omnes confessiones excipiendo, si ei datur iurdictio ab iis, ad quos pertinet: nam beneficium parochiale ponitur à Tridentino pro approbatione vniuersali: ij autem, qui non sunt Parochi, pendunt ab Episcopo, qui potest eos vniuersaliter, vel partialiter approbare, prout ipse iudicauerit.

22. Tertium arguit idem Auctor: quia approbatio distinguitur à iurisdictione, neque in Confessario eligendo per talia privilegia prærequiritur iurdictio ab Episcopo data; hanc enim confert Pontifex: sed solum, quod sit approbatus. Hoc etiam argumentum retorquetur, quia, nec in illo, cui Parochus committit confessiones suorum subditorum, prærequiritur iurdictio; hanc enim confert ipse Parochus: sed solum, quod sit approbatus ab Episcopo: & tamen non concedet, quod possit Parochus committere confessiones feminatum ei, quem Episcopus reprobat ad tales confessiones. Certum itaque est, approbationem distinguere à iurisdictione: sed tamen Papa non vult dare iurisdictionem, nisi illi, qui ab Episcopo iudicatus est aptus, & approbatus ad talem confessionem.

23. Hinc constat, quid dicendum sit ad simile dubium, an, qui approbatus est ab Episcopo pro vno solum oppido, possit per Bullam, aut Iubileum eligi in toto episcopatu. Prima sententia affirmat, quam probabilem dicit Fagundez dicto cap. 2. n. 22. & eam tenet Fernandez in exam. Theolog. mor. part. 3. cap. 9. §. 8. num. 6. Henriquez lib. 6. cap. 6. n. 7. quam aliqui limitant, dummodo non sit limitata approbatio defectu scientiæ: necessariæ: quam limitatione adhibet Roderiquez in explicatione Bullæ Cruciatæ, dub. 5. Acosta ibidem, q. 39. Petrus Fay dicta quæst. 8. disp. 3. conclus. 4. ad 4. Ledesma dict. c. 13. dub. 9.

Contrariam sententiam tenent Nouus in addit. ad 3. quæst. 8. dub. 9. ad 9. argum. Filiucius tom. 1. tract. 7. cap. 9. num. 62. Alphonsus de Leone de Iubileo, part. 2. quæst. 9. num. 20. & alij. Quæ nobis omnino amplectenda est propter eadem argumenta supra posita, quæ pariter in hoc casu militant, cum verè ille Sacerdos non sit approbatus ab Ordinario ad hanc confessionem, sed ad illas alias: ad quam limitationem potuit Episcopus optimam

rationem habere, eo quod in tali oppido propter incolarum conditionem confessiones faciliores essent; vel quia alibi, & in confessione aliarum personarum haberet forte le periculum, quod non subest in tali loco, vel tali familia personarum honestarum, &c. Requiritur ergo approbatio, vel vniuersalis, vel certe respectiua ad talem confessionem, ut ad illam possit eligere per Bullam, aut Iubileum.

Dubatur quartum, vtrum, si aliquis approbatur ab Episcopo, sed tamen interius Episcopus non iudicat eum idoneum ad illud munus, possit valide audire confessiones, & absolvere. Ratio dubitandi est: quia Tridentinum vtrumque videtur requirere ad valorem, & ut quis valide absoluat, dum dicit, neminem posse, nisi vel Parochus sit, aut alias idoneus iudicetur, & approbatus, quæ gratis datur, obineat. Vbi duo videntur requiri, nempe, iudicari idoneum, & approbati ergo, sicut non sufficeret iudicari ab Episcopo idoneum, nisi eum approbet; neque etiam sufficeret approbare, nisi eum iudicet idoneum. Propter hoc Bonacina dicta quæst. 7. punct. 4. §. 1. n. 29. dicit, illum non posse valide absolvere: quam sententiam non improbat Suarez disp. 28. sect. 5. num. 7.

Contrarium tamen affirmat idem Suarez, ibi & videtur omnino verum; & iuxta mentem Concilij, in quo planè non agitur de iudicio interno; sed de externo, quod per approbationem profertur: nam Iudex, licet fortasse aliquando contra conscientiam, verè tamen exercet iudicium, cum iudicat in fauorem alterius ex litigantibus, & in omni rigore iudicat causam applicandam esse huiusmodi, quin numquam posset iniuste iudicare, vel contra conscientiam, quod est contra omnes Theologos, & Iuristas. Iudicium ergo solum significat prolationem sententiæ, quæ certè sententia est, & actus iuridicus, licet sit contra conscientiam: quare Episcopus approbans Confessarium eo ipso profert sententiam, & iudicat illum habendum esse pro idoneo. Vnde à fortiori sit, illum omnino valide absolvere, qui reuerè idoneus est, & approbatus ab Episcopo, licet Episcopus putaret eum non esse idoneum.

Addo, licet requireretur iudicium internum Episcopi vltra approbationem externam, non esset idem dicendum de examinatore: nam, licet hic interius non iudicaret idoneum, quem contra conscientiam approbat, adhuc accedente Episcopi approbatione, ille haberet totum, quod à Concilio requiritur: nam Concilium non petit, quod iudicetur idoneus ab aliis, sed ab Episcopo: tunc autem Episcopus ita iudicaret, etiam interius, licet deceptus ab examinatore; ergo haberet totum, quod Concilium requirit, ut valide absoluat.

Dubitari potest quintum circa eadem verba Concilij, an sit valide approbatus, qui non gratis, sed accepto pretio approbatur: Tridentinum enim id etiam videtur exigere. Responderetur tamen cum Suarez ibi, id exigi ex præcepto; non tamen essentialiter ad valorem, quod iudicat ille loquendi modus, quæ gratis datur, quæ verba significant præceptum; neque ad finem Concilij id necessarium erat: itaque ex vi Concilij illud pretium non reddit inualidam approbationem. Dico, ex vi Concilij, quia aliunde posset fortasse reddi inualida: si v. g. pretio accepto approbaretur aliquis ad beneficium accipiendum: iam enim ipsamet collatio beneficij videretur esse simoniaca, & per contrarium beneficij videretur esse simoniaca, & per consequens inualida; atque adeo non conferretur iurdictio: similiter, si approbatio obtineretur à

Vicario

Vicario Pontificis Summi in Curia, ubi omnia, quæ à Sede apostolica obtinentur pro pretio, redduntur inualida ex Bulla Gregorij XIII. de datis, & acceptis. Ceterum, dum illud vitium esset occultum, adhuc validæ essent absolutiones propter communem errorem, & titulum coloratum beneficii, vel approbationis acceptæ, quo casu Ecclesia confert iurisdictionem propter communem errorem, ut suppono, quod in Parocho simoniaci omnes communiter admittunt. Et idem dicendum esset propter eandem rationem in illo, qui approbationem à Vicario Pontificis simoniacè obtineret: liquidem non minùs iste haberet titulum coloratum. Denique multò minùs requiritur, quòd approbatio fiat in scriptis, cum id à Concilio nullo modo exigatur, sicut neque id requiritur ad facultatem, quæ concedi solet in ordine ad casus reservatos. Non loquimur tamen de illis, quæ concessæ fuerant à Sede apostolica ante Decretum Sanctissimi Domini Nostri Urbani VIII. quo eiusmodi gratias per viam vocis oracula concessas reuocauit,

SECTIO II.

A quo Ordinario debeat esse approbatus Confessarius.

27. **Q**uestio hæc difficilis est, & perplexa propter varia responsa Congregationis, quæ circumferuntur. Supponamus prius, quæ facilitata sunt. Certum ergo est, Episcopum solum electum, & nondum confirmatum, non posse approbare, quia nondum iurisdictionem habet. Idem dicendum est de Episcopo consecrato, sed iurisdictionem non habente: quia renunciavit Episcopatum. E contra verò Episcopus confirmatus à Pontifice, licet nondum sit consecratus, potest approbare; sicut potest etiam cætera, quæ non ad ordinem, sed ad meram iurisdictionem pertinent. Idem dicendum est de Capitulo, Sede vacante, ob eandem rationem; ac denique de Abbatibus, vel Prioribus exemptis diocesim habentibus, & episcopalem iurisdictionem in illa: alioquin non esset vilis, qui pro ea diocesi posset approbare, nisi Papa.

28. Difficultas tota est in assignando Episcopo, vel Ordinario, ad quem singulorum approbatio spectat, & decernendo, cuius Episcopi approbatio requiratur: in quo variæ sunt Doctorum sententiæ. Prima dicit, cuiuscumque Episcopi approbationem sufficere, ut Sacerdos possit ubique confessiones audire, si ei iurdictio conferatur à potente eam conferre, siue eligatur per Bullam, aut Iubileum à potente eligere Confessarium ex approbatis. Ratio est: tum, quia Concilium solum petit, quòd sit approbatus ab Episcopis: nec dicit ab hoc, aut illo determinatè; quare, cum lex ipsa sit odiosa, non debet magis restringi, quàm verba sonant: tum etiam, quia non potest cum fundamento assignari, cuius Episcopi approbatio determinatè exigatur propter difficultates, quæ contra singulas sententiæ id determinantes insurgunt, ut videbimus. Hanc tenent Henriquez libro 7. de Indulgentia capite 12. §. 4. & libro 6. de penitent. capite 6. numero 7. & in glossa, Litt. A, & multis adductis Diana 1. tom. tract. de Bulla Cruciatæ, resolutione 6. & tom. 2. tractat. 4. de Sacrament. resoluit. 110.

29. Hanc sententiam impugnât Iarè Suarez in præfati, disput. 28. sect. 6. & acriter Valquez quest. 93. art. 3. dub. 4. quia reuocatur approbationem requisi-

tam à Concilio ad meram cæremoniam, si sufficiat pro toto mundo approbatio vnius Episcopi, quicumque ille sit; & quilibet Episcopus posset omnes Sacerdotes totius mundi approbare. Ceterum, quidquid sit de huius sententiæ probabilitate tempore præterito: nunc iam non videtur posse vllum habere locum post Decretum Sanctissimi Domini Nostri Urbani VIII. editum anno 1628. quo reuocant omnia priuilegia, & licentias audiendi confessiones sine approbatione ab Episcopis diocesanis, & absque examine factò ab Ordinario: & si quæ erant priuilegia contraria cuiuslibet Ordinis, vel Congregationis, omnino abstulit: quia aliqui fortasse prætendebant per communicationem se habere tale priuilegium, ut semel approbati in vrbe à Vicario Papæ, conferrentur approbati in toto orbe absque nouo examine. Quod quidem priuilegium ego nunquam apud aliquem Ordinem inueni: apud Congregationem verò Oratorij de vrbe, de qua rumor sparsus fuerat, inueni Bullam Sixti V. quam refert ad litteram Antonius Naldus, Clericus Regularis in Summa, verbo Confessio, num. 39. in qua inter alia priuilegia, pro quorum perpetua confirmatione instabat Sanctus Philippus Neri, erat hoc, ut approbati in vrbe, non indigerent alia approbatione extra urbem: quod quidem concessit Sixtus V. sed talibus verbis, quibus gratia redditur ferè inutilis, nempe, ut semel, prævio examine, in vrbe approbati possint absque alio examine audire ubique confessiones de consensu Ordinariorum. Nostra etiam Societas facultatem habuit, ut semel approbati possent audire confessiones in itinere, & transitu in iis locis, in quibus non adesset Episcopus, nec eius Vicarius: quæ non erat facultas illa, ad quam Pontifex alludere videtur in illo Decreto audiendi confessiones liberè ubique, absque noua approbatione. Ex illo autem Decreto arguitur iam efficaciter, & à fortiori, si etiam ex priuilegio non licet id facere, quantò minus de rigore iuris sufficiet vnica approbatio pro toto orbe iis, qui nullo priuilegio potiuntur?

Secunda sententia docet, requiri approbationem Episcopi loci, in quo fit confessio: quam tenet Gutierrez lib. 1. can. 1. cap. 27. n. 6. & seqq. quia ad Episcopum loci pertinet providere Confessarios idoneos commorantibus in eo loco. Hanc sententiam impugnat Suarez de sect. 6. n. 4. quia, si cuius Romanus, v. g. existens Tusculi, inueniat ibi Confessarium Romæ approbatum, & habentem licentiam, & iurisdictionem à Vicario vrbis, poterit ibi ei confiteri, sicut posset etiam ibi confiteri suo Parocho Romano, si ibi eum inueniret, & sicut quilibet potest confiteri suo Episcopo, etiam extra suam diocesim: non ergo requiritur approbatio semper Episcopi loci, in quo fit confessio.

Idè alij tertio dicunt, requiri approbationem Episcopi non loci materialis, sed penitentis, cuius confessio auditur. Magis enim pertinet ad Episcopum cura de subditis, quàm de loco; atque idè oportuit dare illi auctoritatem approbandi, & reprobandi Confessarios pro suis ouibus. Pro hac sententia affert Suarez n. 5. Auctores, & argumenta multa; & ostendit se in illam valde propensum, nisi ab ea ipsum detererent aliqua responsa Congregationis, quæ illi videntur aduersari, & quæ ibi affert n. 6. & 7. quorum primum tale est: Sanctiss. D. Noster declarauit, tempore Iubilei posse omnes Regulares confiteri peccata sua Sacerdotibus Congreg. approbatis ab Ordinario ad audiendas Confessiones: in Bulla enim non fit mentio, nisi de Ordinario eorum, qui audituri sunt confessiones, non autem de Ordinario

R r

Ordinario

Ead. Con-
greg.

Ordinario pœnitentium. Vbi Pontifex videtur declarare, quod verba illa, *approbatus ab Ordinario*, ubicunque inueniantur, intelligi debent de Ordinario, non pœnitentis, sed Confessarij: nam eadem verba sunt in Concilio; & in Bulla Iubilei: ergo, si in Bulla Iubilei debent ita intelligi, eundem sensum habebunt in aliis locis. Secundum responsum Congregationis est in hæc verba: *Sanctiss. D.N. audita relatione Congreg. declarauit, Episcopum vigore privilegij, de quo in cap. fin. de pœnit. & remiss. non posse eligere Sacerdotem sibi non subditum, qui a proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam huius Decreti admissus, seu approbatus ad audiendas confessiones.* Ex quibus verbis à fortiori argui videtur, semper requiri approbationem Ordinarij ipsius Confessarij: nam, si Episcopus ipse non potest confiteri ei, qui à proprio Ordinario non est approbatus, minus poterunt id facere alij inferiores. Si autem sufficeret approbatio Ordinarij pœnitentis, posset Episcopus illum Sacerdotem prius approbare pro tota sua diœcesi, & tunc confiteri illi, cum ipse sit vnus de diœcesi, pro qua est iam approbatus.

32.

Propter hæc ipse Suarez quartò opinatur, à Concilio exigi approbationem Episcopi, qui sit Ordinarius Confessarij: quod hæc Romana responsa conuincere videntur. Addit tamen, nomine Ordinarij non intelligi Prouincialem, aut Prælatum ipsius Religiosi, sed Episcopos, quibus Concilium subdit quoad hoc ipsos etiam Regulares: ille autem dicitur Regularium Episcopus, in cuius Diœcesi Regulares habent suum domicilium. Hinc infert Sacerdotem approbatum à suo Ordinario habere totum, quod Concilium requirit, ut ubique possit ei demandari iurisdicctio in foro Sacramentali; quod latè explicat *sect. 7.* quod tamen intelligit, quandiu manet subditus illius Ordinarij: nam, si mutato domicilio, iam non esset sub illo Ordinario, sed sub alio, à quo non esset approbatus: iam non diceretur approbatus ab Ordinario, ut docet *n. 8.* Vnde Religiosus etiam approbatus ab Ordinario, sub quo habebat domicilium, si domicilium mutet, iam non potest audire confessiones sine approbatione illius Ordinarij, sub quo domicilium sortitus est: si verò domicilium non mutet licet contingat, quod in aliena diœcesi reperiat, poterit ibi absque alia approbatione, eligi per Bullam, vel Iubileum: quia verè approbatus à suo Ordinario: non tamen poterit ex vi præcisæ privilegij, quo Regulares possunt audire confessiones secularium, hoc enim privilegium concesserunt Pontifices cum limitatione, nempe, si approbati sint in illa diœcesi, in qua audiunt confessiones, quod dixit *sect. 7. n. 14.* propter privilegium, quod Gregor XIII. concessit nostræ Societati, ut *suprà* diximus audiendi Confessiones, dum iter agunt, absque noua approbatione in illo episcopatu: ergo, secluso hoc privilegio, id fieri non posset.

33.

Hæc est sententia Suarj, quem malè citat Bonac. *disp. 5. de Sacrament. q. 7. punct. 4. §. 1. n. 21.* pro prima sententia: cum Suarez eam non teneat, sed aliam diuersam. Dicit enim non sufficere approbationem à quocunque Episcopo; sed à proprio Episcopo Confessarij, càmque tandiu solum durare, quandiu Sacerdos manet subditus illius Episcopi: quæ omnia Auctores primæ sententiæ non requirunt, sed dicunt sufficere approbationem Episcopi, siue qui sit Episcopus Confessarij, siue pœnitentis. Quare hæc sententia, licet ex vno capite videatur esse benigna, & ampla, ex altero tamen est stricta; nam ex ea videtur sequi, quod si Sacerdos secularis, vel etiam regularis, qui domicilium

suum Romæ habet, negotij causa commoretur Neapoli per mensem, non possit ab Archiepiscopo Neapolitano approbari, & licentiam accipere, ut ibi audiat confessiones suorum subditorum, siue si prius non fuerat Romæ approbatus à suo Ordinario: quia Concilium exigit approbationem ab Ordinario Confessarij, qui (ut vult Suarez non intelligitur esse Ordinarius loci, in quo auditur confessio. Consequens autem est incredibile, & contra praxim. Nam Episcopi, ut dent licentiam audiendi confessiones, etiam Sacerdotibus exteris, & hospitibus, non attendunt, nec quarunt, an sint prius approbati, vel an venerint cum animo permendi, vel tenendi; sed solum, an sint, vel non sint sufficientes.

Secundò affertur contra eandem sententiam aliud responsum Congregationis, consulente Archiepiscopo Valentino in hæc verba: *Congregatio Concilij respondet, approbatum ab alio quàm à Valent. Episc. in Diœcesi Valent. non censeri approbatum ab Ordinario.* Quæ verba Emaan. Rodrig. in *expositione Bullæ Cruciatæ*, §. 5. testatur, se legisse in epistola missa ad prædictum Archiepiscopum, & Patriarcham. Propter quam responsum Bonac. *ubi supra*, tenet requiri approbationem Ordinarij loci, in quo fit confessio: sed non respondet ad difficultates *suprà* positas contra illam sententiam.

Ego existimo omnia hæc vera esse, & requiri approbationem Ordinarij ipsius Confessarij, eamque approbationem solum durare, quandiu manet sub illo Ordinario; atque aded, si domicilium mutet, requirit nouam approbationem non Ordinarij, imò etiam si, ut hospes, ibi peregrinetur, non posse eligi per Bullam, aut Iubileum sine approbatione Ordinarij illius loci, nec quoad hoc differentiam esse inter regulares abfoluentes virtute Iubilei, aut virtute suorum privilegiorum, ut contendebat Suarez; neque his aduersari aliquid responsum Congregationis, si eius verba bene, & in sensu formalis, ut ita dicam, vel iuridico intelligantur. Debet itaque intelligi Ordinarius, iuxta subiectam materiam, non ille, cui ratione domicilij aut originis Sacerdos subest; sed, cui subest in ordine ad hoc ministerium audiendi Confessiones talium personarum: plerumque enim peregrini, & hospites subduntur Iudici ordinario territorij, in quo versantur, & eius legibus, ut latè probat cum communi ipse Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. c. 1. §. 1. n. 9.* Et licet alij dicant peregrinos non ligari legibus loci, in quo versantur, quod sequitur Thom. Sanchez. *lib. 1. in Decal. c. 12. n. 38* ipse tamen *n. 36. & n. 38.* in *responsis ad septimum arg.* facit, eos ligari legibus illis, quæ tam transgressio cederet in peculiare damnum illius loci, in quo versantur, & quoad hoc esse subditos Iudicis, vel Prælati illius loci. Quare, cum multum intetis, quod oues huius Episcopi habeant Confessarios idoneos, pertinet ad ipsum iudicare, & prohibere in hac materia pro bono sui gregis; & in hac materia peregrini etiam Sacerdotes possunt illi subijci, atque ideo subduntur illi, tanquam ordinario, ad quem pertinet iudicium de sufficientia Confessarij pro suo grege destinandi. Vnde licet Sacerdos peregrinus approbatus sit ab Ordinario sui domicilij, non tamen est approbatus à suo Ordinario, si non approbatus ab Ordinario huius loci: quia Ordinarius suus in ordine ad confessiones huius diœcesis audientas est solus ille, cui in ordine ad hoc munus subditur: & à quo, si in hac materia deliquerit, poterit puniri, tanquam à suo Iudice, & Ordinario in hac ferre causarum. Merito ergo responsum fuit à Congregatione, non posse audire confessiones in episcopatu Valentino eum, qui ab Episcopo Valentino approbatus

approbatus non est quia ille non est approbatus ab Ordinario, id est, ab illo, qui in ordine ad tale ministerium est eius iudex ordinarius. Nunc iam videamus, quomodo iuxta hæc principia bene cohereant, & concilientur omnia, quæ videbantur difficultatem ingerere.

36. Hinc ergo infero primò, Episcopum Ostiensem, v. g. posse confiteri Sacerdoti Romano, dum est in suo episcopatu: quia potest eum ibi approbare pro toto suo Episcopatu: quare, sicut est aptus ad accipiendam iurisdictionem supra omnes alios ibi commorantes, sic poterit eligi ab ipso Episcopo in suum Confessarium. Nec huic doctrinæ adversatur illa responsio *supra* adducta: nam ibi solum dicitur non posse Episcopum eligere Sacerdotem sibi non subditum in Confessarium suum, qui à proprio Ordinario non fuerit approbatus: quod quidem verissimum est. Sed in casu proposito non eligeret non subditum; sed subditum: quia dum est in suo episcopatu, est suus subditus in ordine ad audiendas confessiones; atque idèd non eligit cum ipse sit eius Ordinarius tunc in ordine ad audiendas confessiones in illa diocesi.

37. Respondeo ergo, illa habet locum; vel quando Episcopus non habet territorium; vel quando est extra illud in territorio alieno; tunc enim, licet possit approbare suos subditos, imò etiam non subditos in ordine ad suam diocesim, & ut in ea possint audire confessiones; cum hoc tamen discrimine, quòd approbando suum subditum, ille iam est approbatus ab Ordinario suo: atque ita si ibi inueniat aliquos subditos sui Episcopi, poterit etiam ibi eorum confessiones audire, absque alia approbatione ordinarij illius loci, in quo est: quia, sicut Episcopus ipse extra suum episcopatum potest suos subditos absolueret absque approbatione alterius; sic subditus Episcopi potest ex eius commissione, & approbatione, eosdem absolueret: quia in ordine ad eorum confessiones Episcopus Ostiensis est ordinarius, atque idèd Sacerdos Ostiensis iam audit eas confessiones approbatus à suo Ordinario, scilicet, ab eo, qui est suus Ordinarius in ordine ad illas confessiones. Quando verò Episcopus Ostiensis approbaret Romæ Sacerdotem Romanum pro suo territorio Ostiensi: ille Sacerdos posset quidem in Ostiensi episcopatu audire confessiones, non tamen posset Romæ audire confessiones eius Ostiensis, qui ibi esset: quia dum Sacerdos ille Romæ commoratur, non est subditus villo modo Episcopi Ostiensis, nec potest ab illo puniri, vel iudicari; sed solum, dum est in Ostiensi episcopatu: non est ergo tunc approbatus à suo Ordinario ad illas Confessiones, nisi sit approbatus ab Ordinario Romano: sed quando veniet ad episcopatum Ostiensem, tunc incipiet esse approbatus à suo Ordinario, ex vi approbationis præteritæ Romæ factæ ab Episcopo Ostiensi, & adhuc virtualiter manentis: quia tunc incipit esse subditus illius, & subiaceret eius foro, & correctioni, atque adèd habere illum pro suo Ordinario in ordine ad illud ministerium.

38. Vnde infero secundò, neque ipsum Episcopum Ostiensem, dum est Neapoli, posse confiteri Sacerdoti non subdito, nisi sit approbatus à suo Ordinario: quia sicut non dat illi approbationem pro tempore præsentis pro suis ouibus, sed pro tempore, quo fuerit in episcopatu: sic nec potest dare pro se ad hoc tempus, cum nunc ille Sacerdos non sit approbatus ab villo suo Ordinario: scilicet, neque à Neapolitano, ut supponitur: nec Ostiensi, quia ille nunc non est villo modo suus Ordinarius posset tamen Episcopus Ostiensis Neapoli confiteri

P. Ioann. de Lugo de Pœnitentia.

Sacerdoti Tusculano ibi ad breue tempus commoranti, licet non esset approbatus ab Ordinario Neapolitano: sed solum ab Episcopo Tusculano: quia ille verè esset approbatus à suo Ordinario, cum non desinat esse subditus Episcopi Tusculani ex eo, quòd ad breue tempus Neapoli commoretur: Episcopus autem Ostiensis vigore facultatis, quæ Episcopis conceditur in d. c. fin. de pœnit. & remiss. potest sibi eligere Confessarium idoneum, qualis est, qui est approbatus à suo Ordinario: cum aliunde non sit alius Ordinarius, ad quem pertineat providere Episcopo Ostiensi de Sacerdote idoneo, cum Episcopus Ostiensis non sit quoad hoc subditus Episcopi Neapolitani.

39. Infero tertio, idem dicendum esse, licet Episcopus Ostiensis approbasset Sacerdotem Romanum, dum erat in suo episcopatu: nam Sacerdos egressus, & reuersus Romam non posset Romæ absolueret eum Ostiensem ibi commorantem, sine approbatione Ordinarij Romani; neque etiam ipsum Episcopum Ostiensem Romæ postea commorantem: quia eo ipso, quòd Sacerdos Romanus sit extra territorium Ostiense, iam non est subditus villo modo Episcopi Ostiensis: ergo iam non est approbatus à suo Ordinario, quatenus approbatus fuit ab illo: quia iam ille non est ipsius Ordinarius. Idem dicendum est de Sacerdote Ostiensi approbato ab Ordinario Ostiensi, qui, si mutet domicilium, & transferat se Tusculum, iam non est approbatus à suo Ordinario, nisi approbetur ab Episcopo Tusculano: atque adèd neque eum Ostiensem Tusculi commorantem posset audire: quia, neque in ordine ad illum habet approbationem à suo Ordinario, cum Ordinarius Ostiensis per mutationem domicilij iam non sit amplius eius Ordinarius.

40. Infero quarto, Sacerdotem Ostiensem approbatum ab Episcopo Ostiensi, si Tusculi commoretur, non solum non posse ibi audire ciues Tusculanos sine approbatione Episcopi Tusculani, sed neque Albanenses sine eadem approbatione Episcopi Tusculani: & hoc etiam si virtute Iubilei, vel per Bullam possent eligere sibi Sacerdotem approbatum ab Ordinario. Ratio est: quia, licet ille Sacerdos posset Tusculi audire eum Ostiensem, eò quòd est approbatus à suo Ordinario: id tamen idèd est, quia manet adhuc subditus Ordinarij Ostiensis, ad quem pertinet iure suo approbare suos subditos in ordine ad confessiones suorum subditorum, qualis est ille eius Ostiensis. At verò in ordine ad confessiones eius Albanenses, Ordinarius est, vel Episcopus Albanensis, qui est proprius Pastor: vel Episcopus Tusculanus, dum ipsi Tusculi versantur, siue ex delegatione tacita proprij Pastoris, siue ex consuetudine approbata à Prælati. Ille autem Sacerdos, neque est approbatus ab Episcopo Albanensi, ut suppono, imò etiam si fuisset ab eo approbatus, iam nihil prodesset, quia egressus ex Albanensi territorio, eo ipso desinit esse subditus illius, ut dictum est: neque etiam est approbatus ab Episcopo Tusculano: ergo in ordine ad hanc confessionem non est approbatus à suo Ordinario, nisi approbetur ab Episcopo Tusculano, ad quem nunc spectat cura huius peregrini in defectum proprij Pastoris providentis illi Confessarium idoneum: Iubileum autem, vel Bulla dat solum facultatem pœniti eligendi sibi Confessarium approbatum ab Ordinario Confessarij, scilicet, cuius subditus sit Confessarius, & ad quem spectat cura de illo subdito in ordine ad confessionem.

41. Infero quinto, idem cum proportionem dicendum esse de approbatione requisita ad audiendas confessiones

R. 2. confessiones

39. Licet, dum erat in suo episcopatu, approbasset Sacerdotem alterius episcopatus.

40. Confessarius unus Episcopatus non potest audire pœnitentes alterius cuiusvisque absque approbatione Ordinarij.

41. Quid ad confessiones Regularium.

cessionem Regularium, quando ipsi ex Iubileo, aut facultate à suis Prælati concessa, possunt sibi eligere Confessarium approbatum ab Ordinario: debent enim considerari, perinde ac si essent seculares, & licet ipsi sint exempti ab Episcopis; in ordine tamen ad hoc ille debet reputari Ordinarius ad approbandum talem Confessarium, qui esset, si pœnitens esset secularis. Quare ad audiendam confessionem Religiosi, qui domicilium suum habet Tusculi, requiritur approbatio Episcopi Tusculani: vel certe, si Religiosus ille esset Romæ, ut hospes, per aliquot dies, posset absolui, vel ab iis, qui sunt Romæ approbati, vel ab iis, qui sunt subditi Episcopi Tusculani, & ab ipso approbati, sicut dictum est de seculari. Nam quemadmodum Regularis, qui subdere se vult Episcopo, ut absoluitur ab eo, vel dispensetur in iis casibus, in quibus Episcopi possunt absolui, vel dispensare cum suis subditis, debet adire eum Episcopum, quem adiret, si esset secularis: sic in ordine ad approbandum pro eius confessione, quando potest eligere Confessarium approbatum ab Ordinario, debet seruari eadem omnino proportio.

42.
Quis debeat
approbare.
Regulares.

Infero sexto, Confessarium regularem eodem etiam modo, sicut secularem, indigere approbatione illius Episcopi, in cuius territorio vult audire confessiones: quare, si ipse domicilium suum habitationis habeat in illo episcopatu, potest approbati, sicut Clerici seculares subditi illius Episcopi: & postea, dum illud domicilium retinet, poterit etiã extra episcopatum absolui subditos illius Episcopi: quia in ordine ad illos est approbatus à suo Ordinario, cum adhuc retineat domiciliũ sub illo Ordinario. Si verò mutet domicilium, indiget noua approbatione illius, ad quem vadit: quia, cum ille prior desinat esse suus Ordinarius, non manebit virtute prioris approbationis approbatus à suo Ordinario. Denique, si solum obiter, & ut hospes transeat per alium episcopatum, adhuc indiget approbatione noua illius Episcopi, ut ibi possit audire confessiones. Quia licet approbatus à suo Ordinario, hoc est, ab Episcopo sui domicilij, non est tamen approbatus ab Ordinario, cui nunc subest, & ad quem pertinet approbare in ordine ad suum gregem: quare pro hoc loco non est approbatus à suo Ordinario qui est solus Episcopus huius loci. Vnde merito responsum fuit à Congregatione, non posse in episcopatu Valentino audire confessiones eum, qui non est approbatus ab Episcopo Valentino: quia non est approbatus à suo Ordinario, quem scilicet, habet ut Ordinarium, & cui subditur nunc in ordine ad tale ministerium. Hoc tamen responsum intelligi debet iuxta intentionem interrogantis; quæ erat ad confessiones illorum, qui subduntur Episcopo Valentino: quare non est contra id, quod diximus, quod, scilicet, si Religiosus manens adhuc subditus Episcopi Ostiensis, commoretur Tusculi, ut hospes, poterit ibi absolui subditos Episcopi Ostiensis, à quo est approbatus absque alia approbatione Tusculana: de quo casu peculiari ibi non agebatur, sed de audiendis confessionibus vniuersaliter in episcopatu Valentino, quæ fere omnes erant de iis, quorum cura pertinet ad Episcopum Valentinum, vel ad alios Episcopos, à quibus non est approbatus, vel certe quibus non manet adhuc subditus ille Religiosus Confessarius.

43.
Societatis Ite-
su Sacerdotes
cur possint in
itinere audire
confessiones.

Infero septimò, cur fuerit necessarium priuilegium illud Greg. XIII. ut Sacerdotes nostræ Societatis possint in itinere audire confessiones cum illis limitationibus: quia scilicet, eo ipso, quod ingressi essent territorium alterius Episcopi, incipiebant esse illius subditi, & habere illum pro suo

Ordinario in ordine ad audiendas confessiones illius gregis: quare de rigore iuris, & recluso priuilegio speciali, indigerent noua approbatione, ut possent ibi censi approbati ab Ordinario suo, cum reuerà iam haberent alium Ordinarium, à quo in hoc puncto iudicari deberent.

Infero octauò, Religiosum approbatum ab alio Episcopo, dum in eius episcopatu versatur, siue ut hospes, siue cum domicilio, licet, mutato domicilio; vel reuersus ad suum domicilium, si hospes erat, iam non maneat subditus illius, & per consequens non possit in virtute illius approbationis aliquem absolui, si tamen postea redeat ad eundem episcopatum recuperare approbationem, (nisi forsitan interim fuissent reuocatae licentiæ, & approbationes in eo episcopatu,) & in virtute illius, absque noua approbatione, posse audire confessiones: quia iterum fit subditus eiusdem Episcopi, à quo, vel ab eius prædecessore fuit prius approbatus; atque ideo est iam approbatus ibi à suo Ordinario.

Huic doctrinæ nostræ obici adhuc posse videtur declaratio illa Congregationis supra adductæ, qua dicitur, posse tempore Iubilæi Regulares confiteri approbati ab Ordinario: quia in Bulla non fit mentio, nisi de Ordinario eorum, qui audiri sunt confessiones, non autem de Ordinario pœnitentium. Quibus verbis significatur, quando Concilium petit in Confessario, quod sit approbatus ab Ordinario, non esse sermonem de Ordinario pœnitentis. Nos autem magna ex parte recurere videmur ad Ordinarium pœnitentis: dixerimus enim Confessarium aliquando posse audire hos pœnitentes, & non illos; quia est approbatus ab Episcopo horum, & non ab Episcopo illorum: malè ergo negatur Concilium agere de Ordinario pœnitentis.

Respondetur verissimè ita responsum fuisse: quia Bulla Iubilæi, & Concilium non loquuntur immediatè de Ordinario pœnitentis, sed Confessarij, quando petunt approbationem Ordinarij. Cum hoc tamen stat, quod ex dignitate pœnitentium oritur, tanquam ex radice, quod hic potius, quàm ille dicendus sit Ordinarius Confessarij ad talem actum. Regula tamen immediata ad valorem confessionis non est Ordinarius pœnitentis: sed Ordinarius, cui Confessarius subordinatur in ordine ad tale ministerium. Prudentè autem, & merito dictum est, non fieri ibi mentionem de Ordinario pœnitentis: quia sæpe pœnitentes nullum habent Ordinarium potentem approbare, quales sunt pœnitentes regulares, & exempti. Aliquando habent Ordinarium, non propriè, sed æquiualem, ut pœnitentes peregrini, quorum proprius Ordinarius absit, & subrogatur eius loco Episcopus illius loci. Non poterat ergo per illa verba significari propriè Ordinarius pœnitentis: maxime cum aliquando eius approbatio non sufficeret, ut vidimus, quando Regularis approbatus ab Episcopo Ostiensis, cuius iam non est subditus, vult, & non potest audire confessionem eius Ostiensis Tusculi, ubi non est approbatus ab Episcopo Tusculano. Melius ergo fuit loqui de solo Ordinario Confessarij, qui semper habet proprium Ordinarium, cui propriè subditur in ordine ad talem confessionem audiendam, tanquam proprio iudici, & gubernatori in designandis Confessariis pro suis ouibus.

Dices adhuc: Verba Bullæ, vel Iubilæi solum exigunt, quod sit approbatus à suo Ordinario ille, qui eligendus est: sed Regularis, vel Sacerdos Ostiensis, qui adhuc manet subditus Episcopo,

SECTIO III.

*Utrum approbatio possit negari, vel certe
limitari, cum datur, vel semel
concessa renouari.*

QUOD primum punctum, certum videtur
primò, Episcopum ex iusta causa negare posse
approbationem, si defectus sit ex parte personæ,
siue in doctrina, siue in moribus, siue in aliquo
alio: approbatio enim non debet limitari solum ad
doctrinam, cum possit aliquis habens doctrinam,
adhuc non esse idoneus ad audiendas confessiones
propter scandalum, vel propter alia pericula, quæ
ex tali persona timeri possunt. Secundò certum
est, licet Episcopus possit pro libito dare, vel
non dare suam iurisdictionem iis, quibus volue-
rit: non tamen possit pro solo libito negare ap-
probationem personæ dignæ eam petenti: in hoc
enim non videtur procedere per viam gratiæ,
sed magis vt Index, & per iustitiam. Nam, sicut
habens beneficium, vel electus ad ipsum habet
ius, vt approbetur ab Episcopo, si est sufficiens:
nec potest ei approbatio licite denegari: sic om-
nes alij Sacerdotes, qui ex ipso Sacerdotio eli-
gibiles sunt ad audiendas confessiones à Parochis,
& per Inbileum, aut Bullam habent iurisdic-
tionem à Summo Pontifice, si approbentur ab Epif-
copo, videntur habere ius ad petendam ap-
probationem. Quod multò magis locum habet in
Religiosis, qui ex privilegijs Pontificum habent
iurisdictionem, si approbentur: atque idè, sicut
Parochus ex ipsa electione ad beneficium habet
ius ad approbationem: sic Religiosi, qui ex pri-
uilegijs Sedis apostolicæ sunt quasi Parochi de-
legati, habent ius ad illam approbationem peten-
dam, nec potest hæc iustè sine sufficienti causa eis
negari.

Hinc oritur primum dubium, an si iniuste ne-
getur, negatio non solum sit iniusta, sed etiam in-
ualida: ita vt perinde se habeat, ac si fuisset con-
cessa. Ratio dubitandi est: quia sententia iniusta
non aufert in foro conscientie ius, quod vnus-
quisque habet ad rem suam: ergo reprobatio ini-
usta non habebit effectum coram Deo, atque idè
non reddet invalidas absolutiones. Ceterum, lo-
quendo de Sacerdotibus secularibus, omnes faten-
tur, approbationem positivè, & re ipsa habitam,
esse requisitam essentialiter ad valorem Sacramen-
ti: quia absque illa, nec Pontifex intendit dare iur-
isdictionem, nec alius inferior eam dare valide po-
test, cum Concilium absolute, & generaliter de-
cernat, sine tali approbatione non posse confes-
siones audiri, aut ad hoc indicari idoneum Ministrum.
Vnde, licet sententia sit iniusta, & non auferat ius,
id non sufficit, quia necesse erat dare Sacerdoti
ius aliquod quod ipse nondum habebat, vt posset
audire confessiones, quod ius per sententiam iniu-
stam non acquisiuit, licet per illam nullum ius per-
diderit.

De Religiosis verò Mendicantibus, & iis, qui
eorum privilegijs fruuntur, est specialis difficul-
tas propter quædam privilegia eis concessa à
Bonifacio VIII. in *Extravaganti, super cathe-
dram, de sepulchris*: vbi conceditur, quod, post-
quam Generalis, vel Prouincialis peterent facul-
tatem ab Episcopo ad eligendos Confessarios, &
electos Episcopo præsentarent: si tamen Episco-
pus eos nollet admittere, haberentur pro admis-
sis, Pontifice eos ex tunc admittente: quod Cle-
mens V. in Concilio Viennensi, relato in *Clement.*

R. 3. Duda

49.
Approbatio-
nem ex iusta
causa negare
potest Episco-
pus.

50.
Negatio ini-
usta an sit
valida.

51.
Quid si ne-
getur Reli-
gius.

Episcopo, verè est approbatus à suo Ordinario,
si approbatus est ab Episcopo Ostiensis, cui adhuc
est subditus: ergo poterit eligi Tusculi à ciue
Tusculano virtute Tubilei absque alia approba-
tione, cum habeat totum, quod Bulla requirit,
Respondetur ex dictis illum in casu proposito,
habere duos Ordinarios, quibus subest; nempe,
Ostiensis, cuius subditus est ratione domicilij;
& Tusculanus, cui subest, tamquam suo Superi-
ori, quandiu commoratur Tusculi in ordine ad
omnia, quæ concernunt bonum Tusculanorum,
atque idè in ordine ad audiendas eorum Con-
fessiones. Sicut miles Hispanus, quando transit per
Bohemiā, habet duos Superiores, nempe, Regem
Hispaniæ, cui tenetur obedire; & Regem Bohe-
miæ, à quo puniri potest propter delicta ibi
commissa, & cuius leges obseruare tenetur, ex
quarum violatione damnum regno, vel eius in-
colis sequeretur. Sic Sacerdos ille, quandiu est Tus-
culi, habet duos Superiores, quibus obedire tene-
tur, vnicuique in propria materia. Vnde, si esset
lex pontificia, & vniuersalis prohibens, ne vllus
Dux militiæ posset cogere aliquem ad militandum
sine licentia sui Regis; Tunc Dux ille Hispanus,
dum transit per Bohemiā, posset de licentia Regis
Hispani cogere suos milites Hispanos: milites verò
Bohemos non posset sine licentia Regis Bohemiæ,
ad quem pertinet consulere suis subditis, & cui soli
subditur Dux Hispanus in ordine ad cogendos, &
regendos milites Bohemos. Sic ergo lex Ecclesia-
stica prohibens ne aliquis audiat confessiones sine
approbatione Ordinarij, intelligitur de Ordinario
Confessarij, qui si habeat plures, eò quod commo-
retur in alieno territorio; debet intelligi de illo actu,
& ad quem pertinet gubernare, quod expediat circa
talem actionem: qualis est Episcopus Tusculanus
circa Tusculanos, & uterque Episcopus, Ostiensis,
& Tusculanus circa ciues Ostienses Tusculi com-
morantes.

Hinc infero vltimò, quid dicendum sit, quan-
do Confessarius haberet domicilium per æquales
anni partes in duplici episcopatu, v. g. Religiosus
habitans hyeme in vno; æstate verò in altero epif-
copatu; vel alius alio modo haberet duos Episco-
pos, quibus subesset: tunc enim si approbatus esset
ab vno, & in eo loco haberet iurisdictionem ab
Episcopo; non idè posset in alio audire confes-
siones, nisi eorum, qui pertinerent ad primum epif-
copatum; ab alijs verò non posset eligi virtute Bul-
læ, vel Tubilei, quia, licet esset approbatus à suo Or-
dinario, non tamen à suo Ordinario, et si subditur
in ordine ad illud ministerium exercendum in tali
territorio. Ex quo exemplo confirmari potest, quod
dicebamus de Sacerdote hospite, qui licet sit ap-
probatus à suo Ordinario: indiget tamen approba-
tione Ordinarij loci, in quo nunc est: quia, sicut
ille alius habens duos Ordinarios debet esse ap-
probatus non solum ab Ordinario, sed à tali Ordinario
suo, cui subest in tali genere causarum: sic hospes,
qui habet etiam duos Ordinarios, debet esse ap-
probatus à tali Ordinario suo, ad talem confessionem:
ita vt Ordinarius, cuius approbatio requiritur,
debeat quidem esse Ordinarius Confessarij;
non tamen quicumque, sed ille,
cui Confessarius subest res-
pectivè in ordine ad
talem causam.

* *

P. Ioann. de Lugo de Penitentia.

Dudum, de sepulturis, de nouo confirmavit, ablata quadam magis ampla concessione Benedicti XI. quæ habetur in *extranaganti*, inter cunctas, de priuilegiis. Quare Nauarrus in *Summa*, cap. 27. num. 264. & 265. existimat, etiam post Tridentinum durare hoc priuilegium, & sufficere licentiam petitam, etiamsi negetur: quia illud priuilegium concessum in duobus Conciliis generalibus, & contentum in corpore iuris, nondum videtur sufficienter reuocatum. Quam sententiam sequuntur alij non pauci moderni, quos refert Diana tom. 2. tract. 2. de dub. regul. resolut. 24.

52. Hæc Nauarii sententia communiter reicitur, & merito: quia est contra sensum fidelium, & contra praxim Ecclesiæ, & mentem Concilij Tridentini, in quo proculdubio intentio fuit reformandi in Regularium facultates; & idè dictum fuit: *Nullus Sacerdos secularis, vel regularis*, &c. & postea: *Non obstantibus quibuscumque priuilegiis*: alioquin nunc liceret adhuc Regularibus audire confessiones, licet Episcopus ex iuxta causâ approbationem negaret, cum in illo priuilegio solum requiratur, quod se Episcopo præsentem: quod tamen nemo concedit. Vnde hanc communem sententiam tenent Suarez in præfati, disp. 28. sect. 5. num. 13. Vasquez quest. 93. art. 3. dub. 3. Coninch. disp. 8. dub. 7. num. 58. Filiucius 1. tom. tract. 7. cap. 9. num. 157. & alij multi, quos refert Diana loco citato.

53. An illud ergo antiquum priuilegium respondent Suarez, & alij, reuocatum esse in Tridentino: quia, cum Decretum etiam Tridentini sit lex conciliaris, & Pontificia, quæ vim habet corrigendi superiorem legem, etiamsi in iure continetur; & licet non fiat specialis mentio illius, quando verba posterioris legis hoc requirunt, ut constat ex c. 1. & 2. de Constit. lib. 6. & in nostro casu, lex illa Tridentini nullius esset momenti pro Regularibus, nisi reuocatum esset antiquum priuilegium. Facilius fortasse responderi potest cum Vasquez, & aliis, non fuisse necessarium, quod illud priuilegium antiquum reuocaretur: quia illud solum erat in ordine ad iurisdictionem, ad quam obtinendam ab Episcopo, ipsi præsentabantur Religiosi, quibus si Episcopus nolebat iurisdictionem concedere, Summus Pontifex illam concedebat: hoc autem non est reuocatum, quia Pontifex iam illam concedit, & concessit multis Religionibus independentem ab eo, quod concedatur ab Episcopis: Tridentinum verò addidit conditionem requisitam ex parte Sacerdotis, ut ei iurisdicção concedi intelligatur; sed, ut sit idoneus ad hoc, ut ei, siue à Papa, siue ab aliquo alio iurisdicção delegetur, nempe, approbatio Episcopi, quæ si non præcedat, Papa protestat, se ex indispositione subiecti non concedere ei iurisdictionem: quæ conditio introducta fuit de nouo à Concilio Tridentino, & circa eam non habent Religiosi eiusmodi priuilegia.

54. Aduerto tamen primò, si Episcopus absque causa sufficienti eiusmodi Regulares non approbet, vel nolit ad examen admittere, iniuste procedere contrarius, quod prædicti Religiosi habent ad audiendas confessiones: quod immeritò negasse videtur Fagundes lib. 7. de secundo præcepto Ecclesiæ, cap. 2. num. 14. & expresse concedit Vasquez dicto art. 3. dub. 5. num. 5. ubi addit non esse causam sufficientem ad negandum approbationem, sed superfluitatem, si alias Religiosus esset idoneus. Et potest à posteriori probari: quia non solum regularis, sed secularis etiam, quem Episcopus sine causa nollet approbare, posset ad Metropolitanum appellare, iuxta regulam generalem, quod negligente

Episcopo, iurisdicção deuoluitur ad Archiepiscopum, quam cum aliis latè probat Thomas Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 10. numero 20. & segg. & disp. 28. num. 3. & 4. quod in Religiosis, ut dixi, magis strictè procedit, qui per sua priuilegia sunt quasi Parochi delegati à Summo Pontifice ad audiendas confessiones. Quare, sicut Parochus electus potest appellare ab Episcopo nolente eum approbare absque causa sufficienti, sic Religiosi ob eandem rationem possent ab Episcopo ad Archiepiscopum appellare.

Aduerto secundo, sententiam illam Nauarii, & aliorum supra relata, etiamsi probabilis esset, ad praxim tamen parum, aut nihil posse conducere: quia facultas illa Prælati regularibus concessa exponendi ad confessiones eos, quos præsentatos Episcopus nollet acceptare; concessa quidem fuit cum multis limitationibus, quæ habentur in dicta Clementina, Dudum, de sepulturis præfata, quod remittente Episcopo aliquem ex sibi præsentatis admittere, Prælati regularis alium illius loco debeat subrogare. Item, quod non plures præsentent Episcopo, quam sint necessarii: Sed numerus, inquit, personarum assignandarum ad huiusmodi officium exercendum, esse debet prout universitas Cleri, & populi, ac multitudo, vel paucitas exigat eorumdem. Quæ limitatio, licet solum procedat quoad priuilegium ibi concessum, & non de facto, quia de facto Religiosus idoneus ius habet, ut approbetur, licet non sit necessarius, ut supra vidimus; qui tamen volunt ut priuilegio illius Clementinæ, deberent illo uti cum illa limitatione ibi posita. Potest autem Episcopus semper, aut ferè semper dicere se nolle approbare illos Regulares, quia pro numero penitentium illius loci non sunt necessarij plures pro nunc: cuius contrarium in praxi probare difficillimum erit, atque adeò in praxi non video, quomodo possit utilis esse illa sententia, cuius assertio aliunde non deservit, nisi ad irritandos, & acerbandos Episcoporum animos contra personas regulares, quæ quò magis excoetere à se volunt inuicem Episcoporum hac in parte: eò magis ab ipsis Episcopis adstringuntur experti eorum potestatem: è contra verò, quò magis se Episcopis hac in parte subiciunt, & ostendant se ab illis dependere, eò experientur illos magis benignos, & maiori cum libertate, & pace sua ministeria possunt cum maiori proximorum fructu, ac ædificatione exercere.

§. I. An possit approbari Confessarius cum limitatione ad tempus, ad personas, &c.

Negant aliqui, Vega in *Summa*, tom. 1. cap. 62. cas. 7. Portel in dubijs reg. verb. Confessor. n. 13. & probabile dicit Villalobos in *Summa*, tom. 1. r. 9. diffie. 53. n. 2. qui omnes loquuntur de Regularibus, quos dicunt, non posse cum limitatione approbari, nec posse communiter dari causam iustam talis limitationis: quia ubique eligitur in Parochum Sacerdos secularis vigesimoquinto ætatis anno, & consequenter approbatur sine limitatione ad confessiones vitiorum, & feminarum, & pro tota vita: cur ergo Sacerdos regularis non erit idoneus ad audiendas feminas ante quadragimum ætatis annum.

Contraria sententia communis est, quam praxis Episcoporum approbat, & sequuntur Suarez disp. 28. sect. 7. n. 19. Vasquez q. 93. art. 3. dub. 5. n. 4. Fagundes in *Summa*, c. 4. n. 10. & 11. Fagundes dicto c. 2. n. 1. Diana tom. 2. tract. 2. de dubijs reg. resolut. 25. Et quidem, suppositis iis, quæ dicta sunt, certum

certum videtur, limitationem illam, siue iustè, siue iniustè apponatur, validam esse, ita ut qui approbatus est pro hoc solum anno, v. g. transacto anno; non possit validè audire confessiones sine noua approbatione. Ratio est: quia approbatio requiritur essentialiter, ut vidimus, ad valorem Sacramenti: hic autem non est verè approbatus anno sequenti, cum Episcopus solum iudicauerit eum idoneum pro hoc anno, & non pro sequenti. Idem est, quando approbatus fuit ad confessiones viro- rum, & non fœminarum. Porro non esse idem approbare pro hoc anno, vel ad confessiones viro- rum, ac approbare simpliciter, probatur: quia loquendo de possibili, potest aliquis idoneus esse ad audiendos viros, & non fœminas propter minorem grauitatem, aut propter inuenilem aspectum, aut propter aliquam suspicionem de ipso conceptam: ergo potest iudicari aptus ad illas confessiones, & non ad istas; ergo non est idem approbare ad ali- quas, ac approbare ad omnes. Item potest aliquis aptus esse ad confessiones puerorum, vel rusticorum, & non ad confessiones mercatorum, vel lu- dicum, qui difficiliore casus habent: non ergo consistit ita in indiuisibili iudicio approbationis, ut non possit diuidi, & approbari aliquis ad vnam familiam, vel ad vnum genus personarum, quin approbetur ad omnes.

Magis difficile hoc esse videtur in limitatione ad certum tempus: quomodo enim potest esse, ut ille, qui hodie aptus est, cras non sit aptus ad au- diendas confessiones? Cæterum, neque hoc re- pugnat, loquendo saltem de possibili. Primò, quia fieri potest, ut propter necessitatem, & concursum pœnitentium iudicetur idoneus pro hac hebdo- mada aliquis, cui propter morum leuitatem, aut alium vitæ defectum, non posset prudenter Epi- scopus fidere longiori tempore: sic enim Ecclesia pro mortis periculo prudenter confidit omnibus Sacerdotibus absolendi facultatem, quibus sine illa necessitate non fideret. Secundo, quia potest esse persona talis, de qua prudenter timeatur, quòd habita semel approbatione, non amplius curabit de studio necessario ad illud ministerium, unde post aliquod tempus obliuione, & aliis curis obruetur illa doctrina, & notitia, quam nunc habet, & redi- bit ad pristinam ignorantiam: non potest ergo ille prudenter nunc iudicari aptus ad audiendas confes- siones per totam vitam; sed pro hoc anno, quan- diu non perdit doctrinam moralem, quam nunc habet in promptu: neque hic casus metaphysicus est, sed quem experientia ipsa frequentius probat, quam oporteret. Tertio, quia potest etiam con- tingere, quòd Episcopus habeat notitiam de pro- bitate, & idoneitate alicuius sufficientem quidem ad probandum, & ad experiendum illum; non tamen sufficientem ad approbandum in perpetuum. Certum enim est, minùs requiri ad primum, quam ad secundum: minùs enim requiritur, ut aliquem in famulum recipias, quem, si non placeat, possis postea rejicere, quam ut in coniugem, quem semel acceptum relinquere non possis. Minor etiam no- titia sufficit ad recipiendum Nouitium, quam ad dan- dam ei professionem. Sic minor notitia sufficit ad probandum Confessarium per aliquod tempus quam ad confirmandum illum in perpetuum: non ergo repugnat, loquendo de possibili, talis modus approbandi ad tempus limitatum.

59.
Approbatio
data ab Epi-
scopo cum
limitatione
huius, non da-
nanda.

Hinc infero primò, non debere damnari appro- bationem cum eiusmodi limitationibus ab Epi- scopis datam tanquam iniustam, etiam respectu Regularium: possunt enim de facto interuenire,

vel omnes, vel aliqua ex rationibus adductis, vel alia similes, quibus prudenter moueatur Episco- pus ad non approbandum absolutè, & vniuersali- ter; sed cum aliqua limitatione. Nec obstat exem- plum illud de Parocho, qui vigesimo quinto æta- tis anno approbatur absque vlla limitatione. Re- sponderi enim potest, maius examen procul dubio debere præcedere, per se loquendo circa probita- tem, & mores Parochi, ut illi committatur anima- rum cura, & beneficium parochiale; quàm regula- riter præcedat ad approbandum Confessarium. Vnde non mirum, quòd parochus approbetur ad omnium, etiam fœminarum, confessiones, & non Religiosus iuuenis, quem Episcopus non cogno- scit. Sic etiam Episcopus eligitur trigésimo ætatis anno, atque eo ipso approbatur ad absolutiones, & dispensationes grauissimas, quas Pontifex, & Con- cilia non possent prudenter considerare omnibus Religiosis, etiam sexagenariis, quia nimirum, Epi- scopi Electionem præcedit magnum examen circa doctrinam, prudentiam, probitatem, & mores ipsius; qualem notitiam Pontifex non habet de omnibus Religiosis, etiam senibus.

Infero secundo, quando in particulari circa ali- quam personam, maxime religiosam, non proce- derent prædictæ rationes; sed Episcopus haberet notitiam sufficientem, ut eam absque limitatione approbaret; non videntur posse absque alia iusta causa apponi eiusmodi limitationes. Nam ille ha- bet ius, ut petat approbationem simpliciter, & ab- solutam prævio examine, cui se offert: ergo sup- posita plena notitia, quæ de ipso habetur, non po- test Episcopus pro solo libito negare approbationem simpliciter, & dare solum semiapprobationem, alioquin liceret illi pro libito dare approbationem pro vna hebdomada, vel pro centum personis: quæ omnia essent in fraudem priuilegiorum Regula- rium, ut constat. Quando autem sit de facto iusta causa ad apponendas eiusmodi limitationes, hoc ar- bitrio, & conscientia Episcopi relinquimus: dicimus autem, siue iustè, siue iniustè apponantur, obser- uandas omnino esse: quia ille Sacerdos reuerà non est approbatus ab Episcopo pro tali tempore, vel ad tales confessiones, quæ approbatio necessaria omnino est ad valorè absolutionis post Conc. Trid.

60.

Limitationes
non videntur
apponi absque
iusta causa.

§. 2. An approbatio semel data possit ab Epi- scopo valide, licitè reuocari.

DE hoc variæ sunt sententiæ. Prima negat; pos- se reuocari: quia approbatio non est gratia, aut facultas; sed sententia iuridica, quæ semel prolata transit in rem iudicatam, & reuocari non potest. Secunda sententia affirmat, posse ad libitum reuocari. Tertia distinguit, & dicit, posse reuocari respectu secularium Sacerdotum: quia hi accipiunt iurisdi- ctionem ab Episcopo, quam ipse potest pro libito reuocare: non potest verò respectu Regularium, qui iurisdictionem accipiunt à Summo Pontifice. Ita P. Vasquez dicto dub. 5. qui tamen addit, posse ali- quando Episcopum ex rationabilissima causa ap- probationem Religiosi reuocare. Quam doctrinam meritò impugnat P. Suarez dicta disp. 28. sect. 8. n. 1. quia nunc non agimus de concessione iurisdictionis, sed de mera approbatione, quæ etiam respectu Sacerdotis secularis distinguuntur, & potest abla- ta iurisdictione ab Episcopo concessa, retinere ap- probationem, quæ per Iubileum, aut Bullam, capax sit iurisdictionis ad absolendum.

Alij ergo dicunt, Religiosi approbationem non posse reuocari ab eodem Episcopo, nec etiam à Ca- pitulo

pitulo, Sede vacante, posse tamen ab eius successore propter Motum proprium Pij V. in quo id decreuit. Alj addunt, etiam si Episcopus approbaverit ad beneplacitum suum; non posse revocare ad libitum approbationem, sine iusta causa. Ita Peirinus, *super privilegia Minim. tom. 1. const. 2. Sixti IV. §. 2. n. 44.* Denique P. Suarez illa scilicet 8. dici revocari posse ex causa iusta approbationem etiam pro Regularibus; sine causa non posse licite, neque etiam fortasse valide. Quod etiam tenet Coninch *disp. 8. dub. 7. n. 49.*

63.
Approbatio
Parochi, an
& quomodo
possit ab eo
auferri

In hoc puncto in primis dicendum videtur approbationem Parochi non posse ab eo auferri, nisi vel priuatur, vel suspendatur ab officio: quia approbatio illa non procedit immediatè ab Episcopo; sed ab Ecclesia, quæ posita conditione beneficii parochialis, statim confert ei approbationem universalem, ut ubique possit audire confessiones si ei iurisdicção conferatur: ergo dum non priuatur officio Parochi, vel suspenditur ab ipso, debet perseverare approbatio.

Approbatio
a beneplaci-
tum an possit
licite, & va-
lide revocari

Secundò dicendum videtur, si approbatio data fuit ad beneplacitum, posse revocari licite ex causa, & valide etiam absq; causa, non solum secularibus, sed etiam Regularibus. Ratio est: quia approbatio data cum limitatione, & ad certum tempus usq; illi tempore cessat, ut diximus & potest aliquando approbatio cum tali limitatione conferri ex causa iusta. Quando autem approbatio datur ad beneplacitum, est approbatio limitata ad certum tempus vagum determinandum pro arbitrio approbantis: ergo aliquando licite dabitur cum illa clausula, quando, scilicet sunt causæ suprà adductæ ad dandam approbationem cum limitatione: semper autem valida erit limitatio; ita ut cessante beneplacito approbantis, approbatio eo ipso intelligatur cessare.

64.
An sine iusta
causa, & pro
solo arbitrio,
& libito Epi-
scopi.

Dicendum tertio, sine iusta causa non posse pro solo arbitrio, & libito Episcopi revocari licite approbationem semel collatam. Hoc constat à fortiori ex suprà dictis: quia, si non potest iuste & licite negari approbatio sine causa sufficienti; multò minus auferri poterit, postquam semel collata est, & ius acquisitum Confessario. Unde satis probabile est revocationem talem sine causa approbationis iam prius sine limitatione collatæ, non esse validam: quia, cum sit sententia iudicis iniusta, non videtur posse re ipsa auferre ius, quod iam Confessarius habebat ex approbatione prius posita, & per consequens revocatio nullum sortietur effectum.

65.
Religiosi etiam
revocari po-
tunt approba-
tio absque li-
mitatione,
quam ob
pauisam?

Dicendum quartò, ex causa iusta, & rationabili posse etiam Religiosis revocari approbationem prius absque limitatione concessam: quod quidem quando saltem rationabilissima causa intercedit, non potuit negare P. Vasquez: erit autem controuersia parvi momenti, an causa debeat esse rationabilis, vel rationabilissima: nam, si causa rationabilis est, sufficiens est; si enim sufficiens non est, erit insufficientis, & per consequens irrationabilis. Porro posse intercedere causam sufficientem revocandi approbationem, non videtur posse negari; siquidem potest intercedere causa sufficiens auferendi beneficium semel titè, & absolute collatum, quod multò magis radicatum ius confert, quàm approbatio, quæ cum sit sententia testimonium perhibens de idoneitate alicuius, non apparet, cur mutato obiecto non possit licite, & iuridicè revocari. Nam, sicut ille, qui hodie idoneus est, potest postea corruptis moribus, vel obliuione doctrinæ fieri ineptus, ita, qui eum hodie declarat idoneum, potest postea eum declarare ineptum, & retractare revocationem pro tempore sequenti. Et certe, si Episcopi hoc non possent facere, non possent satis

consulere suo gregi, cum non possent prohibere illi, Confessarium ineptum semel approbatum, etiam si clarè constaret de eius ineptitudine.

Aduerto tamen, exemplum Parochi, quoad aliud, esse æquale, licet quoad aliud aliud non sit æquale. Non enim requiritur tam gravis causa ad revocandam approbationem, sicut ad priuandum beneficium semel collatum: quia beneficium non ordinatur solum ad bonum gregis; sed etiam ad bonum beneficiarii, cui dat ius ad redditus, quibus sine grauiori causa priuari non debet, tum etiam, quia damnum, quod infert reuocatio approbationis, est facile reparabile, cum statim per nouum examen possit iterum approbati, si autem non est aptus ad examen, non est aptus ad illud ministerium. Vide merito dixi, exemplum illud esse æquale quoad aliud: quia minor etiam causa requiritur ad suspendendum Parochum, ne audiat confessiones, donec iterum examinetur: quàm ad auferendum illi suum beneficium: ad illud enim primum sufficit, quod sit rumor, & timor prudens de eius insufficientia, ut possit Episcopus prohibere, ne audiat confessiones, donec examinetur: quod tamen non sufficeret ad priuandum beneficium. Similiter ergo ad reuocandam approbationem sufficit, quod prudenter timeatur de insufficientia illius: nam reuocatio illa nihil aliud est, quàm quadam quasi suspensio, donec iterum examinetur. Cur ergo non sufficit ad hoc, id quod sufficit ad suspendendum, seu ad prohibendum Parochum, donec examinetur?

Difficultas ergo tota est, an in particulari quando Episcopus reuocat licentias, & approbationes concessas, intercedat de facto causa sufficiens. In quo dubio id solum dicere possumus, præsumendum in dubio esse pro Prælato, qui multa nouit, quæ latent subditis, propter quæ necesse sit Confessarios iterum ad examen vocare. Sicut autem Prælati consulendum est, ne propter vnius, vel alterius insufficientiam omnis commune omnibus imponat, præsertim cum facile possint illi, de quorum insufficientia suspicio est, sine tanto rumore examinari, & probari: sic subditi, & maxime Religiosi, ut suprà dixi, honestissimum, & consilissimum est Prælatorum intentioni se promptos, & faciles exhibere, alioquin suspensionem dabimus annu- lis nostris, quod non tam ob zelum tuendi nostra privilegia, quàm ob alias causas obedientiam Prælati adhibere nolumus.

SECTIO IV.

De probitate, & doctrina in Confessario
requisita.

Explicitè possunt hæc requiri: primò ad validè, secundò ad licite absolendum, & reprobate conferendum hoc Sacramentum. De probitate ergo ad valorem Sacramenti requisita, certum est, nec statum gratiæ, nec fidem requirit, per se loquendo, & ex institutione Sacramenti: dum enim Minister habeat intentionem, & applicet formam præcedente confessione, & dispositione penitentis; Sacramentum erit validum, si nihil aliud desit: potest enim contingere, quod aliud desit, eò quod defectus fidei, v.g. afferat excommunicationem talem, ratione cuius Minister fuerit priuatus iurisdictione requisita, qui defectus sit publicus: vel, quod status peccati attulerit etiam secum talem censuram, quæ iurisdictionem abstulerit: in quibus casibus Sacramentum erit invalidum immediate ex defectu iurisdictionis, non ex defectu probitatis, solum posset dubitari, quando defectus pro-

bitatis esset publicus, & talis, ut redderet ministrum indignum beneficio: nam tunc collatio beneficii redditur nulla eo quod fiat indigno; & per consequens ille non accipit iurisdictionem, & potestatem, atque ideo Sacramentum erit invalidum; neque enim Ecclesia confert tunc iurisdictionem propter titulum coloratum: nam ad hoc requireretur, quod vitium esset occultum: in eo autem casu defectus probitatis supponitur esse publicus, & per consequens non intercedit error publicus, cui Ecclesia debeat subuenire. Sed totum hoc dependet ex illa questione, an collatio beneficii facta indigno sit ipso facto irrita, an solum irritanda, de quo agitur in materia de beneficiis. Ad nostrum autem propositum parum refert: quia, si supponatur electio irrita, defectu probitatis immediatè, sed ex defectu iurisdictionis requisitè, ut paulò antè dicebamus.

69. Probitas necessariò requisita ad licitè ministrandum hoc Sacramentum est status gratiæ, qui debet prius procurari à ministro, vel per confessionem proprii peccati, vel saltem per contritionem de illo. An verò status gratiæ requiratur toto tempore, quo Confessarius audit confessionem; an solum, quando profert formam absolutionis: P. Valquez in præfati, disp. 28, sect. 1. n. 3. affirmat requiri, antequam incipiat audire peccata. Contrariam tamen sententiam tenui, & probavi latè disp. 8. de Sac. in genere sect. 9. ubi etiam n. 151. dixi posse aliquando ob necessitatem infirmi, ne moriatur sine absolutione, si Confessarius prius velit conari ad habendam contritionem ob temporis angustias, excusari à præmittenda contritione ante absolutionem: in quo scrupulosè loquitur Suarez dicto n. 3.

70. Quod attinet ad doctrinam, & scientiam in Ministro necessariam, videri possunt Dominicus Soto in 4. disp. 18. q. 4. art. 2. in fine, P. Soto lect. 6. de Confess. Navarrus de penit. disp. 6. c. 1. §. Cautam. 21. & in Summa, c. 4. n. 8. & 9. Suarez in præfati, disp. 28. sect. 2. Valquez q. 93. art. 3. dub. 1. qui, & alij, quos affert, conveniunt fere in omnibus: quod scilicet, aliqua requiratur scientia, sicut ad omnia alia ministeria graviora debito modo exercenda; alioquin exponet se Confessarius periculo graviter erandi. Hæc tamen scientia non debet esse tanta, ut de omnibus, quæ poenitens dicit, possit discernere, an sint mortalia, vel venialia; sæpè enim id nec doctissimi possunt; partim, quia non possunt scire perfectè ipsum factum, an consenserit poenitens cum plena deliberatione, vel non: partim, quia nec ipsum etiam ius in omnibus sciri potest. Satis ergo est si sciat in iis, quæ communiter occurrunt, an sint mortalia, vel venialia: item quæ habeant excommunicationem annexam: quæ peccata sint reservata: in quo melioris conditionis sunt qui habent facultatem absolvendi à reservatis per Bullam, vel aliud privilegium. Item, non est necesse, quod in dubiis, quæ occurrunt, possit ipse omnia resolvere: satis est, si communia sciat, & de difficilius sciat saltem dubitare, aut libros vel peritiores consulat. Debet etiam scire, qualis dispositio in poenitente exigatur, ut possit absolvi. Vnde apparet, scientiam, quæ in Confessario requiritur, non esse eandem pro omnibus: aliquibus enim minor sufficit ad audiendas confessiones puerorum vel rusticorum, in aliis maior requiritur ad audientes mercatores, Iudices, &c. qui casus habent difficiliore. Ad confessiones verò hominis docti multò minor requiritur, quidquid Navarrus dubitet: quia potest Confessarius instrui ab ipso poenitente, de gravitate peccati, & de aliis circumstantiis necessariis: nam, sicut posset homo doctus confi-

teri Sacerdoti, quem ipse prius instruxisset, & docuisset Theologiam moralem, qua doctrina instructus postea audit eius confessionem; cur hoc in ipsamet confessione fieri non poterit?

Hinc infero primò, non requiri, quod Confessarius de omnibus, quæ audit à poenitente, iudicet, an sint peccata graviora, vel leviora; imò, neque an sint, vel non sint peccata, sed de communibus; reliqua verò audiat, & intelligat, ac postea absolvat cum debita intentione. Quando verò dandum est consilium in futurum, vel imponenda restitutio, aut prohibendas contractus dubius vel quid simile; si ipse Confessarius non potest scipso id resolvere, erit bonum consilium petere à poenitente, an sit paratus ad consulendos homines peritos, & standum illorum iudicio circa illud dubium: quod si poenitens promittit, absolvat dicendo illi obligationem, quam habet consulendi aliquem, vel aliquos de illo dubio.

72. Infero secundò, peccare graviter eum, qui sine scientia respectuè requisita exponit se ad audiendas confessiones: in quo non est differentia inter Confessarium regularem, & secularem, formaliter loquendo, cum uterque obligetur præcepto naturali: poterit tamen esse differentia materialis, quatenus Religiosus, qui dubitat de sua aptitudine, & sufficientia ad illud ministerium; facilius poterit deponere illud dubium, quando Prælatus, qui cum bene novit, indicat illum aptum, & imponit ei tale munus. Similiter peccat qui ineptum elegit ad hoc officium, & non solum Prælatus, sed etiam poenitens, qui habet facultatem eligendi Confessarium, & scit hunc non esse idoneum, licet sit approbatus, peccat eum eligendo, nisi talis sit poenitens, qui sua doctrina possit supplere infirmitatem Confessarii, ut dictum est.

Excipitur casus necessitatis, ut in articulo mortis, in quo licet Sacerdos sit ignarus, & indoctus, debet audire confessionem, & absolvere: quia scientia Confessarii requiritur ad integritatem confessionis: cum autem in illo periculo non requiratur materialis integritas, sed sufficiat percipere aliquod peccatum, vel etiam peccatum in genere; non obstat Confessarii infirmitas in eo casu. Vnde idem dicendum erit, quando Christiani, qui apud infideles in servitute detinentur, non habent, nisi vnum Sacerdotem ignatum, & indoctum, ut docet Suarez num. 6. quia illa etiam reputatur necessitas moraliter extrema.

74. Addo, ex hoc capite excusari sæpè Prælatus, qui in aliquibus oppidis exiguis, & remotis præficiunt Parochos indoctos, & rudes: hoc enim plerumque faciunt, quia propter exiguum stipendium, & penuriam rerum, ac pauperiem incolatum, non invenitur homo doctus, qui velit curam illam suscipere. Vnde, cum aliter non possit illis omnibus subueniri, ut suppono; melius est, quod habeant Confessarium indoctum in tali necessitate, quam quod omni remedio prorsus destituantur. Deberet tamen Prælatus admonere Parochum de defectu scientiæ, quem patitur; & de obligatione, quam habet, comparandi, si possit, doctrinam necessariam ad summi ministerium obeundum. Hanc enim obligationem semper habet Parochus, & Confessarius, licet Prælatus ob necessitatem omnium excusetur aliquando mittendo ministrum minus sufficientem. Restabat dicere, an ex ignorantia Confessarii possit reddi irrita confessio, & haberi obligatio eam repetendi. De hoc tamen dictum supra sect. 16. sectione 15.